



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Tepiditas proficientis vitæ, vt complures misere decipiat; & vtî per exercitium diuini amoris spiritus hominis inflammandas sit. Can. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Deum memoria, qui quid agis, semper in illum tendas, illi vni semper inhaereas. Quid enim circa multa laboras? Vnum cogita, vnum desidera, & quietem reperies. Semper igitur vbicunque fueris hæc vox in auribus tuis sonet: fili mi redeas ad cor, ab omnibus te abstrahens, vt nudato & simplicitate corde, in Deo immobilis perseueres, præter ipsum aliud nihil cogitans aut desiderans, quasi tu solus in mundo cum ipso sis. Et ad hoc tam humiliter, quam feruenter aspira, vt anima tua tota cum omnibus viribus & potentijs suis in Deum (iuxta magnum mandatum legis) collecta, vnus fiat spiritus cum eo.

Mat. 6.  
1. Cor. 6.

*Tepiditas proficientis vitæ vt complures misere decipiat: & vti per exercitium diuini amoris spiritus hominis inflammatus sit.*

## CANON XXI.

**N**ondum impedimentum spiritualis vitæ est, tepiditas, qua multi sola consuetudine ducti opera faciunt bona, perfectionem æstimantes in multitudine operum magis, quam in feruore charitatis, aut intentionis puritate consistere. Ideo tractui diuino non acquiescunt per abnegationem sui. Tu verò hanc regulam tanquam proficiendi compendium tene, vt omni tempore cor tuum amorosa conuersione ad Deum habeas eleuatum, cum feruenti desiderio illi placendi ipsumque diligendi perfectissimè, suspirans & clamans indefinenter per ignitas aliquas orationes breues & aspirationes flammigeras, hoc modo: O Deus meus, ò vita anime mee, ò totum desiderium & gaudium meum, quando te ardentissime diligam & meipsum ac totum mundum perfecte contempnam. O vtinam possem à meipso totus deficere, & in te liquefieri, absorberi & transformari ex vehementi amoris tui incendio. O Domine, da mihi diligere te ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus meis. Et varijs similibus modis dilectum tuum omni tempore amando, & desiderando, vel laudando & gratias agendo, teque in laudem eius offerendo prout vnctio te docebit. Hoc exercitium nobilissimum est, quo ab immenso potes postulare immensa. In infinitum enim se extendere debet desiderium charitatis. Deus autem ipse postulare iussit, & exaudire promisit, qui sua infinita largitate nullum prorsus vel suspirium, vel gemitum ad se emissum sinet redire ad te vacuum. Aut enim nouam gratiam infundit, aut infusam auget, aut efficacius cor tuum trahit, aut dulcius reficit, aut perfectius illuminat, aut potentius confirmat. Noli ergo tanta bona quæ omni momento recipere potes, per desidiam negligere: noli cessare, noli fugere à facie Domini. Sequere dilectum tuum per aquam & ignem, sapiusque distractus, tentatus vel prolapsus ad misericordiam Dominum pœnitens reuertere, rursus viriliter incipe, ac teipsum totum & omnia in eius amore & laude consumere desidera, quia ingratitude siccare facit fontem misericordiarum, & spiritus indefinenter clamat in anima nostra, vt donis Dei, quæ omni momento recipimus, respondamus, ipsum laudando corde & opere, qui est super omnia benedictus, Amen.

Charitas vt  
in infinitum  
se extendat.  
Mat. 6.  
Lucæ 11.  
Ioan. 16.

Psal. 66.

Bernac.